Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36555
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift

quod de samaritano ex castello gethonum habebat uerborum quaestionumque certamen.
Quibus ego auditis rogabam demonstrari mihi eius hospitium, quod cum repperissem adque
ante fores constitissem ingerebam ianitori quisnam essem adque unde aduenerem.
Et ecce barnabas procedens statim ut me uidit in conplexus meos conruit gaudio lacrimans
atque adprehensum me manu introducebat ad petrum. Quem cum mihi eminus ostendisset
hic est inquid petrus quem tibi maximum esse in dei sapientia dicebam. Cuique de te rursus
sine cessatione locutus sum. Ingredere igitur tamquam bene ei cognitus, omnia enim quae in te
sunt bona uerissime conperit. Et religiosum propositum tuum diligenter agnouit. Ex quo et
summo desiderio agitur uidendi te. Unde magnum ei hodie munus meis te manibus offero
simulque oblato me ait hic est clemens petre, at benignissimus petrus audito nomine
adcurrens protinus inhesit osculis meis. Et post haec cum sedere fecisset me ait, benefecisti
qui praedicatorem ueritatis hospitio recepisti barnaban nihil uerens populi insanientis furorem,
beatus eris, sicut enim tu legatum ueritatis omni honore dignum duxisti, ita et te quoque pere
grinantem et hospitem ueritas ipsa suscipiet. Et ciuem propriae urbis adscribet. Et
tunc tibi erit gaudium magnum quod exiguam nunc inpertiens gratiam aeternorum bonorum
heres scriberis. Nunc ergo ne labores exponere mihi animum tuum, cuncta enim de te ac de mo
ribus tuis barnabas fideli sermone perdocuit. Cotidie pene et indesinenter bonorum
tuorum memoriam repetens. Et ut tibi breuiter tamquam unianimo amico quid in re est
dissimulem. Si nihil est quod te inpediat iter age nobiscum et audi sermonem ueritatis quem
habituri sumus per loca singula usquequo ad ipsam nobis perueniendum sit urbem romam.
Et nunc et tu si quid desideras dicito. Cumque ei exposuissem quid ab initio proposito
gesserim et quomodo per inanes effusus sum quaestiones. Et illa omnia quae et tibi domine
iacobe in principiis indicaui, ut ne eadem repetam libenter promisit cum ipso me iter
acturum. Hoc est enim aio quod cupidissime expetebam. Uerumtamen prius mihi ueram
pro ratione ueritatis exponi. Ut sciam si mortalis an inmortalis sit anima. Et si in
mortalis utrum pro his quae hic agit ducatur ad iudicium, sed et quae sit iustitia quae
deo placeat scire desidero. Tum praeterea si factus est mundus uel quare factus est.
aut si soluendus et an in melius renouandus. Aut si omnino post haec non erit mundus.
Et ne per singula progrediar haec atque horum similia ut se habeant discere me uellem.